AUGUSTINUS. ISIDORUS HISPALENSIS
Göttweig (?), 12. Jh. Seite 42v
Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36527
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift



discedunt ut alia succedant. & omnibus suis partibus constet
infirma uniuersitas. Nunquid ego aliquo discedo ait uer-
bum dei. Ibi fige mansionem tuam. ibi commenda quicquid
inde habes anima mea saltim fatigata fallaciis. Veri-
tati commenda quicquid tibi est a ueritate. & non perdes ali-
quid. & reflorescent putrida tua & sanabuntur omnes
languores tui. & fluxa tua reformabuntur & renouabuntur
& constringentur ad te. & non te deponent quo descenduntur.
sed stabunt tecum & permanebunt ad semper stantem & perma-
nentem deum. Vt quid peruersa sequeris carnem tuam. Ipsa te
sequatur conuersa. Quidquid per illa sentis in parte est. &
ignoras totum cuius hee partes sunt. & delectant te tamen.
Sed si ad totum comprehendendum esset idoneus sensus car-
nis tue ac non & ipse in parte uniuersi accepisset & pro
pena tua iustum modum. uelles ut transiret quicquid
existit in presentia ut magis tibi placerent omnia. Nam
& quod loquimur per eundem sensum carnis audis. & non uis utique
stare sillabas sed transuolare ut alie ueniant. & totum
audias. Ita semper omnia quibus unum aliquid constat. & non sunt
omnia simul ea quibus constat. Plus delectant omnia quam
singula. si possint sentiri omnia. Sed longe his melior
qui fecit omnia. & ipse est deus noster & non discedit. quia nec succe-
ditur ei. Si placent corpora. deum ex illis lauda. & in arti-
ficem eorum retorque amorem. ne in his que tibi placent
tu displiceas. Si placent animae in deo amentur. quia
& ipse mutabiles sunt. & in illo fixe stabiliuntur. Alioquin
irent & perirent. In illo ergo amentur. & rape ad eum tecum
quas potes. & dic eis. Nunc amemus. ipse fecit hec. &
non est longe. Non enim fecit atque abiit. sed ex illo in illo sunt.